

DE STATUIS ET IMAGINIBUS.

1.24.1

Imp. Arcadius et Honorius AA. Theodoro pp.

Si quis iudicum accepisse aeneas vel argenteas vel marmoreas statuas extra imperiale beneficium in administratione positus detegetur, emolumenta, quae acceperit in ea positus dignitate, quam polluit, cum extortis titulis vel praesumptis in quadruplum fisco nostro inferat simulque noverit existimationis suae poenam se subiturum, nec eos sane a periculo pudoris haberi volumus immunes, qui adulandi studio aut metu inconstanti ignavia transire quae sunt interdicta temptaverint.

D. XII k. Ian. Mediolani Honorio A. mi et Eutychiano cons. [a. 398]

1.24.2

Imp. Theodosius A. et Valentinianus C. Aetio pp.

Si quando nostrae statuae vel imagines eriguntur seu diebus, ut adsolet, festis sive communibus, adsit iudex sine adorationis ambitioso fastigio, ut ornamentum diei vel loco et nostrae recordationi sui probet accessisse praesentiam.

D. III non. Mai. Theodosio A. XI et Valentiniano C. cons. [a. 425]

1.24.3

Imp. Theodosius et Valentinianus AA. Florentio pp.

In nostrae serenitatis imaginibus ac statuīs erigendis privatae collationis iniuriam propulsari praecipimus, ne quid in eo suum collator agnoscat.

D. III non. April. Theodosio A. XVII et Festo cons. [a. 439]

1.24.4

Idem AA. ad Nomum comitem et magistrum officiorum.

Et virtutum praemia tribui merentibus convenit et aliorum honores aliis damnorum occasionem fieri non oportet, idcirco quotiens vel iudicibus nostris vel cuilibet alii statua fuerit a quocumque collegio seu officio vel in hac sacratissima civitate vel in provinciis postulata, nequaquam ex discriptione sumptus colligi patimur, sed eius, cuius ad honorem petitur, expensis propriis statuam collocari praecipimus.

D. V k. April. Theodosio A. XVIII cons. [a. 444]